

ADDITIO FRACTORVM NV-
merorum. CAP. XI.

Additio
minutia-
rum quo
modo
fiat.

SI minutia addenda habeant eundem de-
nominatorem, addendi sunt numera-
tores, & aggregato idem denominator
supponendus: Si vero diuersos habeant deno-
minatores, reducenda sunt prius ad eundem
denominatorem, & tunc eodem modo addi-
tio instituenda. Vt summa collecta ex hisce
tribus minutijs $\frac{2}{13}$, $\frac{4}{13}$, $\frac{6}{13}$, est hæc $\frac{12}{13}$, quia ha-
bent eundem denominatorem, summaque ex
numeratoribus collecta est 12. quemadmodum
ex 2. aureis, 4. aureis, & 6. aureis fiunt 12.
aurei. Sic etiam ex hisce minutijs $\frac{3}{10}$, $\frac{7}{10}$, col-
ligitur hæc summa $\frac{10}{10}$, quæ vni integro æqui-
ualet. Ita quoque ex his minutijs $\frac{4}{7}$, $\frac{3}{7}$, $\frac{5}{7}$, $\frac{6}{7}$, col-
ligitur hæc summa $\frac{18}{7}$, quæ reducta ad inte-
gra facit $2\frac{4}{7}$. At vero vt hæc minutia $\frac{2}{3}$, $\frac{3}{4}$, in v-
nam summam colligantur, reducenda prius
sunt ad eundem denominatorem, nimirum
ad has minutias $\frac{8}{12}$, $\frac{9}{12}$, ex quibus in vnâ sum-
mam collectis fiunt $\frac{17}{12}$, hoc est, $1\frac{5}{12}$, atque hæc
est summa duarum minutiarum propositarum,
quemadmodum ex 2. aureis & 3. iulijs, si 2.
aurei reducantur ad 20. iulios, fiunt 23. iulij.
Sic etiam minutia hæc $\frac{6}{7}$, $\frac{12}{13}$, $\frac{10}{11}$, $\frac{4}{5}$, vt in vnâ
summam colligantur, reducenda prius sunt
ad has eiusdem denominationis $\frac{4200}{5005}$, $\frac{4620}{5005}$,
 $\frac{4550}{5005}$, $\frac{4004}{5005}$, ex quibus fit hæc summa $\frac{17464}{5005}$, id
est, $3\frac{2442}{5005}$.

Quando
integra
ad sunt
quid fa-
ciendum.

Si integra adsint, addenda sunt ea seorsum,
& minutia etiam seorsum. Vt ex 8. & $\frac{3}{5}$, fiunt
 $8\frac{3}{5}$. Item ex 8. & $4\frac{2}{3}$, fiunt $12\frac{2}{3}$. Item ex $8\frac{2}{7}$, & $4\frac{6}{7}$,
fiunt